INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM
IN ACADEMIA
GEORGIA AUGUSTA
PER SEMESTRE AESTIVUM
ANNI MDCCCXLVII.
HABENDARUM 1847
DIE XIX., APRILIS
INCIPIENDARUM
PER DIES A XXIII. USQUE AD XXVIII. AUGUSTI
FINIENDARUM.



Hermann

Praemissa est disputatio de codicibus Juvenalis recte existimandis.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
JO. C. LUD. GIESELER D.
CUM SENATU.

Diu est, Commilitones, quum criticorum oribus ad codices manuscriptos translatum celebratur Plinianum illud: ponderari oportere suffragia, non numerari [1]; quae tamen sententia ut per se verissima est, ita nisi recto sanoque judicio adhibita etiam majus detrimentum veteribus scriptoribus et potest afferre et saepe jam attulit. Nam qui numerant codices, quorum testimoniis uti volunt, in majore numero sequendo hoc certe lucrantur, ut quam praeferant lectionem non recentissimi cujusque librarii errore ortam sed ex antiquo fonte acceptam multorumque communi religione servatam esse sciant; qui autem solo pondere agunt, facile eo delabuntur, ut scriptoris ingenium suo modulo metiantur externaeque fidei parum curiosi, quod sibi maxime placuerit, illum quoque scripsisse censeant. Scilicet hoc uno argumento pondera lectionum existimant, si qua lectio ei loco, de quo maxime agatur, praeter ceteras apta videatur; quod quam lubricum quamque ambiguum in tanta judiciorum humanorum diversitate esse possit, et sponte patet et foedissima illa varietate comprobatur, qua plurimorum scriptorum editiones ad hunc usque diem inter se discrepant; codicibus vero colligendis comparandisque quicquid operae impenditur, apud plerosque editores eo tantum spectat, ut experiantur, ecquam forte alicubi lectionem inveniant, quae vulgatam superare videatur, adeove quod pejus est, ut si quam ipsi varietatem deprehenderint, huic quovis modo pondus addant eamque pro genuina scriptoris manu ambitiose venditent. Atque haec ratio, haec origo est eclecticismi, quem jam proximo superiori anno hoc nomine impugnavimus, ut nihil perniciosius ad veterum librorum verba constituenda afferri diceremus; neque ea re multo melior ejus causa redditur, quod si qui se elegantiores videri volunt, vetustate aliqua insignes lectiones quas potissimum sequantur eligunt, quasi aut maculae, quae semel loco alicui inhaeserunt, temporis diuturnitate eluantur, aut illa mendorum genera, quae criticos maxime exercent, solius medii aevi inscitiae nec multo magis ipsius antiquitatis librariis vel diorthotarum quorundam, ut sibi videbantur, malae sedulitati debeantur, quorum opera vel vetustissimorum qui ad nos pervenerunt codicum aetatem, si a paucis discesseris, aliquot saeculis praecedit [2]). Et librariorum quanta vel optimis tempori-

---

1) Quamvis enim verba non constent, sententia sine dubio ex illa Plinii epistola II, 12 petita est, ubi queritur, quod in Senatu *sententiae numerentur, non ponderentur*; cf. Senec. de benef. IV. 21 et Epist. 29: *ut aestimes judicia, non numeres.* — 2) Cf. Fritzsch. ad Aristoph. Thesmoph. p. XVI: *saepe equidem risi et posthac ridebo philologos nostros, qui in codicum lectionibus tantum non ubique de librariis cogitant vel somniant potius, hos unos stricto stilo adoriuntur, his stuporem, fraudem, malitiam, et quae non*

bus incuria fuerit, quum aliunde [3]) tum hac Martialis admonitione constat:

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis
Sive obscura nimis sive latina parum,
Non meus est error; nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi [4]);

quorum etsi qui menda tollerent data opera constituebantur [5]), tamen hos quoque haud raro negligentius rem suam gessisse disertis veterum querelis discimus [6]); eruditorum autem, qui probatissimorum scriptorum exemplaria sibi recensenda sumebant, quam anceps meritum fuerit, jam in superiore disputatione pluribus exsecuti sumus; qui quum hoc fere solum operae suae propositum haberent, ut veterum scripta ab aequalibus commode legerentur, lectionem non religione aliqua sed suo tantum intellectu regebant, ipsaque glossemata quae dicuntur, tantum abest ut, quae etiam nunc multorum opinio est, solis marginibus adscripta per errorem demum ac confusionem in verborum ordinem irrepserint, ut dubitari nequeat quin multa eorum sive perspicuitatis augendae causa sive pruritu aliquo mutandi ipsorumque editorum quasi virium experiendarum causa a scientibus et volentibus genuinae scripturae substituta sint. Neve haec ex suspicione quadam et specie veri potius quam certis indiciis contra vetustissimorum librorum fidem disputari censeatis, opportune praesto est insignissimum codicis rescripti fragmentum, cujus, ut ipsius inventoris Angeli Maji verbis utamur [7]), *tam pulchra est scriptura tantumque sapit antiquitatem, ut nulli ex tot praestantissimis ab illo editis calligraphiae veteris speciminibus cedat*, Juvenalis Satirae XIV finem et XV principium continens, quod nemo facile infra quartum adeove tertium p. Chr. n. saeculum deprimat; idem tamen in exiguo versuum numero tam manifesta menda exhibet, ut jam tum poëtae exemplaria insigniter corrupta exstitisse intelligamus. Mittimus ridiculum lapsum Sat. XV. 24: *sic aliquis* ***memorito*** *nondum ebrius*, pro *merito*, quanquam vel illic haud scimus an vetus dittographia lateat, quae alios *merito*, alios *memorat* scripsisse prodat; sed etiam insignior error est deinceps v. 25:

de Corcyraea temecum deduxerat urna

pro *temetum duxerat*, metro misere lacerato, sin vel hoc librarii culpae tribuatur, certam interpolatoris notam gerit v. 27:

nos miranda quidem sed nuper Consule Junco,

quam si lectionem sequimur, pro *Junio*, qui a. 119 ἐπώνυμος fuit, suffectum consulem habebimus, quem ipsum illo nomine ante a. 127 non

---

crimina exprobrant .... quaecunque vero lectiones doctrinam paullo majorem redolent, ut certum in eis consilium, non fortunae temeritatem agnoscas, eas ego lectiones in omnibus scriptoribus non a librariis, sed a grammaticis sive antiquis sive recentibus profectas esse quovis pignore contenderim etc. — 3) Cic. Qu. fr. III. 6: *de latinis vero, quo me vertam nescio; ita mendose et scribuntur et veneunt*; cf. Dio Chrysost. Or. XXI, p. 272. — 4) Epigr. II, 8. — 5) Cic. ad Att. XIII. 23. 2: *sunt enim effecta, ut vidisti; tantum librariorum menda tolluntur.* — 6) Porphyr. V. Plotin. c. 19: κέκτημαι δὲ ἡμιτελῶς· οὐ γὰρ μετρίως ἦν διημαρτημένα· καίτοι τὸν ἑταῖρον Ἀμέλιον ᾤμην ἀναλήψασθαι τὰ τῶν γραφέων πταίσματα· τῷ δὲ ἦν ἄλλα προυργιαίτερα τῆς τοιαύτης προσεδρείας. — 7) Class. auctt. e Vaticc. codd. edit. T. III, p. XVIII.

novimus [8]), causa autem corruptelae apparet in synaeresi, quam qui non intellexisset, pro *Junio* nomen disyllabum quaesivit eodem modo, quo Sat. VI. 82 plurimi codices *ludium* in *ludum* et Sat. VII. 69 *deesset* in *desit* ejusdem licentiae ignorantia mutatum offerunt. Neque inter ipsos illius aetatis eruditos magis quam inter nostros de omni lectione convenisse, praeter alia varietatum vestigia, quae editi quum aliorum poëtarum [9]) tum Juvenalis interpretes exhibent [10]), in ipsa palimpsesti margine docet notabile scholion ad Sat. XV. 5, ubi quum codex itidem singulariter corruptam lectionem praeferat:

dimidio magicae resonant ubi Memnona chordae,

non fortuito scriptum esse *Memnona* pro *Memnone* vetus annotatio ostendit: *quidam dimidium non dimidio legunt ad Memnona referentes.*

Quorsum autem haec omnia disputavimus, Commilitones ornatissimi? Nempe ut ipsius Juvenalis interpretationi, quam inter alia plurima industriae vestrae subsidia in proximam aestatem destinavimus, ita proluderemus, ut si qui vestrum illa nostra opera uti vellent, hi statim a limine incorruptis judiciis ad codicum lectiones existimandas accederent, neque aut numero aut vetustate aut aliqua probabilitatis specie praeter internam singulorum librorum praestantiam ad decernendum uterentur, quibus lectionibus in ambigua monumentorum fide majus pondus graviorque auctoritas tribui debeat. Neque enim ullum codicem exstare videtis, qui corruptelae aetatem antecedat, neque in tanta hujus antiquitate certum est majorem codicum numerum ex meliore recensione prodiisse; immo quo speciosius sive ad intelligendi facultatem sive ad scripturae elegantiam exemplar aliquod videbatur, eo plures illud sequi consentaneum erat, etiam si alia exstarent, quae majore cum diligentia aut religione ipsam scriptoris manum repraesentarent [11]); eademque res recentioribus editoribus haud raro fraudi fuit, ut etiam si qui ponderare suffragia quam numerare mallent, singularum lectionum probabilitate decepti eos testes sequerentur, quos si non

---

8) Huic enim anno Juncum consulem suffectum vindicat tabula honestae missionis edita in Memorie della R. Accademia di Torino T. XXXIX, p. 1—14, et illustrata a Cardinali in Atti dell' Accad. Romana d'Archeol. T. VI, p. 231 sqq.; sed neque a suffecto anni notam petere Juvenalem consentaneum erat, neque hunc ipsum credibile est ad illum usque annum vitam duxisse; cf. Francke de Juven. vita p. 134 et G. E. Weberi interpr. german. p. 230. — 9) Cf. Lectt. Persian. spec. I, p. 26 sqq. — 10) Cf. Schol. ad Sat. VI. 238: *hic versiculus in quibusdam codicibus non est.* Idem post v. 348 et 614 complures versus addit, quorum posteriores tres *a Probo referri* ait:

semper aquam portes rimosa ad dolia, semper
istud onus subeas ipsis manantibus urnis,
quod rabidus nostro Phalarin de rege dedisti,

similiterque ad v. 631 *duos versiculos sequi* annotat, *qui in aliis non sint,* apud nos sunt; porro ad VIII. 167 varietatem, qua nostri codices diversi abeunt, *Lateranus sive Damasippus*, jam novit, et ad X. 59 ipse inter duas lectiones ambiguus haeret: *si intacta, nova, si impacta, percussa ab eo quod est impingo;* item ad XII. 73: *aut mirabile, quia triginta fetus habuit, aut miserabile, quod miseratum sit Phrygibus;* denique XVI. 23 ad *mulino corde* annotat, quod nostrorum quoque codicum plurimi exhibent: *in alio Mutinensis.* — 11) Splendidissimos codices haud raro mendosissimos fuisse, *qui a servis scribebantur nullius doctrinae praeterquam calligraphiae peritis*, ipse Majus annotat l. c. p. xix; cf. Hauthal. ad Persium p. 456.

carptim sed universe spectassent, fontesque eorum et affinitates strenue persecuti essent, tot aliis locis corruptos et fallaces invenissent, ut ne ibi quidem, ubi per se tolerabiles lectiones praeberent, contra aliorum auctoritatem fide dignos habuissent. Sic ut hoc utamur, in prima Satira Rupertius recte sprevit lectiones v. 46 *premat*, v. 74 *aliquid*, v. 106 *majus*, v. 131 *mingere*, v. 139 *feret*, v. 158 *vehatur*, v. 161 *verum*, v. 169 *animante tuba*; ex eisdem tamen codicibus, quos hoc ipso judicio deteriores declaravit, v. 2 *Codri* pro *Cordi* et v. 134 *caules* pro *caulis*, Heinrichius vero, dum *caulis* retinet, *premat* et *feret* in ordinem recepit; nec minor in sequentibus inconstantia apparet, ut Sat. II, ubi ne Achaintrius quidem, quamvis caecus externae speciei sectator, nedum nostrates v. 80 *prurigine* aut v. 92 *Cocyton* aut v. 139 *in corpore* aut v. 146 *Paulisque* recipere sustinuerunt, nec tamen melioribus auctoribus nituntur lectiones v. 5 *invenias* pro *invenies*, v. 36 *Lauronia* pro *Laronia*, v. 38 *ad quem* pro *atque ita*, v. 44 *Scatinia* pro *Scantinia*, v. 68 *Labulla* pro *Fabulla*, v. 97 *galbana* pro *galbina*, v. 140 *morientur* a Rupertio, partimque etiam a Webero utroque probatae; immo quanto manifestiora in posterioribus libris interpolationis argumenta exstant, eo admirabilius passim editorum judicium occurrit, qui quos libros in gravissimis exemplis fidos tutosque duces invenerunt, eosdem alibi levissimis de causis adversariis postferunt, dumque ad ipsa poëtae verba redire sibi videntur, eam lectionis formam exhibent, quam ne librarium quidem ullum pro sua agnoturum esse constet. Quae quum ita sint, vel ejus ratio praestare videatur, qui alioquin dici non potest quam miro et perverso judicio plerumque poëtae dictionem existimaverit, Caroli Schmidtii Bielefeldensis, qui in delectu Satirarum a. 1835 edito fere soli codicum numero obtemperans ea certe constantia usus est, ut illius recensionis, quam plurimos librarios secutos esse certum est, imaginem fere plenam et fidelem proponeret; eandem tamen recensionem quo minus meliorem habeamus, id ipsum prohibet, in quo ceterorum editorum inconstantiam reprehendimus, nimirum quod haec recensio, si undequaque spectetur, tantis corruptelae signis scatet, ut quam ne singulis quidem locis tuto audiri diximus, eam integram sequendo summam poëtae injuriam allaturi simus. Neque illud eam tueri potest, quod ex octoginta circiter codicibus, qui Juvenalis Satiras continent, septuaginta amplius illius vestigia referunt; si quidem palimpsesto illo reperto, quod in plerisque rebus cum illa recensione concinit, primas ejus radices ad tertium usque saeculum pertinere compertum est; quod si ne hujus quidem vetustatem obstitisse vidimus, quo minus paucos intra versus foedissima vel negligentiae vel interpolationis vitia contraheret, in reliquorum existimatione hoc solum sectari possumus, ut quotquot insigni aliqua corruptela communem fontem arguant, quamvis multos pro una familia numeremus, hisque vel ceteris in locis, ubicunque ab aliis discrepant, eos praeferamus, qui quamvis exigui et rari tamen illis mendis careant, eoque argumento melioris recensionis auctoritatem vindicent. Atque hoc est, quo omnis nostra disputatio tetendit, ut ita demum recte ponderari suffragia intelligeretis, ubi judicium a singulorum locorum ambiguitate ad integrorum codicum virtutes conversum, si quos certis lateque patentibus aliorum

corruptelis feliciter restitisse deprehenderit, eosdem etiam alibi potiores habeat eoque pacto firma fundamenta nanciscatur, quibus usum plerasque lectionum varietates, quae editores diversos rapuerunt, facillimo negotio dirimat [12]; ne tamen formulam judicandi posuisse contenti in ipso judicio exercendo solos relinquamus, quicquid vel spatii vel temporis huic praefationi suppetit, ita collocabimus, ut deterioris recensionis vestigia etiam ultra palimpsesti illius fines persequamur, certisque ejus notis constitutis illud utique efficiamus, ut quibus maxime codicibus editionibusque obtemperandum, quorum lectionibus ne in blandissima quidem specie temere utendum sit, strictim et universe significemus.

Primum igitur ut re vera duas olim recensiones exstitisse intelligatis, quarum discrimen non fortuitis librariorum erroribus, sed voluntati et consilio tribui oporteat, missis quaecunque ad solemnes codicum confusiones pertinent, ex maxima varietatum copia eas subjecimus, quae quum nisi scienti ac volenti excidere vix potuerint, eaedem tamen tot codices consentientes habent, ut in plerisque unum vetustissimum archetypon referant; id ipsum autem exemplar, cujus quae lectiones fuisse videantur litera X notavimus, quantum a Pithoeanis, quas ut vulgatas litera V insignivimus, recesserit, brevis comparatio dubitare non patietur. Sat. I. 161 V *verbum*, X *verum*; II. 97 V *galbina*, X *galbana*; III. 112 V *aviam*, X *aulam*; IV. 96 V *festinata*, X *destinata*; 147 V *Cattis*, X *Getis*; V. 91 et VI. 126 et 307, quos V omittit, X retinet; ibidem VI. 329 V *jam dormit*, X *dormitat*; 474 V *est pretium curae*, X *est operae pretium*; 486 V *praefectura domus*, X *profectura domo*; 480 V *disponit*, X *componit*; 537 V *cadurco*, X *caduceo*; 585 V *dabunt Phryx augur et Indus*, X *feret Phryx augur et inde*, 647 V *saeva*, X *torva*; VII. 8 V *nullus in umbra*, X *nullus in arca*; 60 V *moesta*, X *sana*; 100 V *nullo quippe modo*, X *namque oblita modi*; 124 V *quantum licet*, X *quantum petet*; 139 V *fidimus eloquio*, X *ut redeant veteres*; 156 V *diversae forte*, X *diversa parte*; VIII. 7, quem V retinet, X omittit; 40 V *stemmate*, X *sanguine*; 66 V *ducunt*, X *trahunt*; 90 V *rerum*, X *regum*; 93 V *Numitor*, X *Tutor*; 133 V *ponas*, X *pingas*; 147 V *Lateranus*, X *Damasippus*; 198 V *principe mimus*, X *principe natus*; 203 V *faciem*, X *frontem*; 225 V *cantu*, X *saltu*; 239 V *monte*, X *gente*; 256 V *pube*, X *plebe*; IX. 14 V *Bruttia praestabat calidi tibi fascia visci*, X *praestabat calidi circumlita*

---

12) Gravissimam omnis scriptoris recensendi legem satis pro his angustiis declarasse nobis videmur; si quis tamen plura postulet, legat acutissimi hominis, quem honoris causa nominamus, Madvigii praefationem ad Ciceronis de finibus libros, unde haec tantum ex p. XLI gustandi causa excerpsimus: *usum codicum, ut par erat, omnem retuli ad unius archetypi scripturam inveniendam, quum nostrorum codicum testimonia in ea re exquirenda ponderarem ea lege, quam eorum origo cognatioque dabat .... atque utinam hoc aliquando philologi omnes intelligant et teneant! Liberabimur enim et perversa quorundam superstitione, a quibus unus codex describendo multiplicatus, quamvis multis locis eum etiam inscii deserere cogantur, tamen alibi certissimis rationibus praefertur, et inani illo conjecturarum lusu ex apicibus unius alteriusve codicis ductarum sine ulla ceterorum aut cognationis cura. Itaque in codicum dissensu utriusque familiae comparationem feci, non singulorum codicum* etc.

fascia visci; 40 V *ac cevet*, X *atque cavet*; 68 V *Aquilone Decembri*, X *mense Decembri*; 100 V *cara est*, X *careas*; 106 V *taceant*, X *clamant*; X. 73 V *turba Remi*, X *turba tremens*; 91 V *summas*, X *sellas*; 310 V *i nunc et*, X *nunc ergo*; 313 V *irati debent*, X *exigere irati*; XI. 91 V *postremo*, X *rigidique*; 106 V *venientis*, X *fulgentis*; 128 V *viris*, X *bilis*; XII. 82 V *tuti stagna sinus*, X *tunc stagnante sinu*; 110 V *turrim*, X *turmam*; 113 V *victima sola*, 115 *victima sacra*; XIII. 119 V *Vagelli*, X *Bathylli*; 142 V *nos viles pulli*, X *nos vilis populus*; 208 V *sola voluntas*, X *saeva voluptas*; XIV. 2 V *maculam haesuram*, X *maculam et rugam*; 38 V *damnandis hujus*, X *damnis hujusce*; 62 V *leve argentum*, X *lavat argentum*; 63 V *furit*, X *fremit*; 115 V *acquirendi*, X *atque verendum*; 176 V *immodici*, X *indomiti*; 208 V *repentibus assae*, X *poscentibus assem*; 269 V *ac vilis*, X *a Siculis*; XV. 25 V *temetum duxerat*, X *temetum deduxerat*; 27 V *Junio*, X *Junco*; 46 V *turba*, X *ripa*; 65 V *quales et*, X *quali se*; 134 V *dicentis*, X *lugentis*; XVI. 23 V *mulino*, X *Mutinensis*; 39 V *patulo*, X *vetulo*; — nonne hae sunt varietates, quarum utras probes, semper hoc certum maneat, mature exstitisse, qui majore temeritate quam fide in poëtae lectionem grassarentur, iidem tamen pro auctoritate sua etiam si quid vitii subrepsisset, ad posteros propagarent? Neque tamen difficile est ad discernendum, utra ex his recensionibus propius ad poëtae manum accedat, utriusve major in illa corruptela culpa habenda sit; idque ipsum interpolationis suspicionem vehementer auget, quod ubicunque una ex duabus lectionibus sano judicio damnanda videatur, propius scrutantibus ex earum genere erit, quas litera X insignivimus, quarumque fontem, quisquis fuit, propter hanc ipsam causam nostro jure deteriorem appellamus. Sunt utique in utraque recensione, quae per se spectata fere idem pondus habent, ut ambiguus inter utramque haereas; eadem vero ambiguitas illico tolletur, modo ex ea lege, quam superius posuimus, integrorum librorum virtutes et vitia accurate examinaveris, eoque facto vel inter illas, quae libramento quodam suspendi videantur, eas posthabueris, quarum exemplar alibi aut manifesta corruptela laboret aut certe deteriorum lectionum multitudine alterum superet. Sic v. c. perinde erit ad sensum, utrum *disponit* an *componit*, *torva* an *saeva*, *nullo quippe modo* an *namque oblita modi*, *sanguine* an *stemmate*, *frontem* an *faciem*, *fremit* an *furit* legamus; at quis omnino sequi malit libros, qui manifesto metrum corrumpunt scribendo *Getis* pro *Cattis*, *destinata* pro *festinata*, *caduceo* pro *cadurco*, *profectura* pro *praefectura*, *careas annona* pro *cara est annona*, *temetum deduxerat* pro *temetum duxerat*, vel ineptias poëtae suggerunt, ut *aulam* pro *aviam*, *arca* pro *umbra*, *regum* pro *rerum*, *clamant* pro *taceant*, *pueris poscentibus assem* etc., vel aperta glossemata in elegantiorum lectionum locum substituunt, ut *operae pretium* pro *pretium curae*, *pingas* pro *ponas*, *plebe* pro *pube*, *diversa parte* pro *diversae*, *gente* pro *monte*, *mense* pro *Aquilone*, *vilis populus* pro *viles pulli*, *sellas curules* pro *summas*, *nunc ergo* pro *i nunc*, *sacra* pro *sola*; postremo si maxime difficilior optio occurrat, tanta plerumque Pithoeanae lectionis praestantia est, ut etiam ubi contraria scribi a poëta potuerit, cum illa comparata deteriorem locum obtineat. Quod ne temere sumsisse

videamur, age jam singulas, quarum aliqua species esse possit, curatius examinemus.

Statim quod primo loco posuimus *verum* pro *verbum*, non sine causa substitutum videatur ab eo, qui nihil satirico in aequales licere ideo statueret, quia nihil de eis veri praeter crimina dicere posset; sequens tamen *hic est*, quo *verum* proxime referretur, nihil criminis continet, multoque acerbius est, quod Juvenalem scripsisse editores quoque plerique nobiscum sentiunt *verbum*, hoc est: modo nomen pronunciaveris digitove hominem monstraveris, criminum conscientia perturbatus accusatorem sibi exsistere putabit. Levior causa est VI. 585, ubi *dabunt* certe et *feret* eodem redeunt, *inde* tamen pro *Indo* intolerabilem languorem affert; sed ne VII. 60 quidem quamvis docta lectio *sana* prohibebit, quo minus illius auctorem insignem poëtae vim intulisse arguamus. Scilicet obversabatur illam fingenti Democritus, quem Horatius *sanos Helicone poëtas excludere* ait [13]), neque aliter Scholiasta: *dicunt nam nisi insanum poëtam esse non posse*; at de insania sive furore poëtarum obiter tantum loquitur Juvenalis, caput sententiae est curarum vacuitas, quae nisi saturo et opulento contingere non potest; quapropter nobis dubium non est, quin *moestam* poëta scripserit, cui quum alius itidem Horatii memor, quem tamen multo rarius quam Persius Juvenalis respicit, *saevam* substituisset, facile fieri poterat, ut sciolus diorthota, doctrinae ostentandae quam sententiae conservandae curiosior, in illas argutias incideret. Nec minus v. 124 lectio *petit* pro *licet* correctoris manum prodit, legem Cinciam vel potius Claudii Neronisque instituta ignorantis, qui mercedem pro patrociniis accipiendam denorum millium summa temperaverant, quam egressi repetundarum tenerentur [14]); eademque ratio est languidi illius *ut redeant veteres*, quod in Ciceronis mentione sponte intelligitur, altera vero lectio *fidimus eloquio* vel ideo necessaria est, quia post universam miserae causidicorum fortunae enarrationem etiam ei objectioni occurrendum erat, quae eloquentiae certe praestantiam tali sorte immunem fore arbitraretur. De Sat. VIII. v. 7, quia longior disputatio est, nunc hoc tantum monemus, si quid eo in loco insiticium sit, antecedentes versus 5 et 6 multo majore interpolationis suspicione premi, nec multum abesse quin hanc genuinam poëtae manum esse statuamus:

et Curios jam dimidios humerosque minorem
Corvinum, posthac multa contingere virga
fumosos equitum cum dictatore magistros;

Numitorem autem certe scimus illius aetatis divitem fuisse, quum de *Tutore* altum silentium sit; nam quod Schmidtius hominem Treverum ex Tac. Histor. IV. 55 Ciliciae praefici potuisse censet, videat ne pro nobili Romano peregrinum offerat; nec *Damasippum* pro *Laterano* opinamur defendet, qui recogitaverit omnino eum Juvenalis morem non esse, ut Romanos

---

13) A. poët. 296; cf. Plat. Phaedr. p. 245 pluraque apud Davis. ad Cic. Tuscul. I. 26 et Divin. I. 37, Morgenstern de Plat. republ. p. 297, van Heusde init. philos. Plat. I, p. 124, Ulrici Gesch. d. hellen. Dichtkunst, T. I, p. 94 etc. — 14) Cf. Tac. Ann. XI. 5, Sueton. Ner. 17, Plin. Epist. V. 21.

homines fictis Graecorum nominibus appellet, quam ob causam ne *Codrum* quidem pro *Cordo* Sat. I. 2 et III. 203 magis quam apud Martialem II. 57 tuemur; sive verum Damasippi nomen fuit, posterius demum v. 185 locum habet, ubi diversum ab illo hominem memorari clarissime ostendit transitus ad *pejora*, unde apparet veri Damasippi longe alia peccata ac ficti quem volunt hoc est Laterani fuisse. In eadem Satira v. 198 vel *natus citharoedo principe nobilis* defensorem nactus est Schmidtium, qui *mimum* ita tantum ferri posse putat, si satira sub Nerone scripta sit, quia post hunc citharoedus princeps nemo fuerit; at nonne hanc ipsam in sententiam Juvenalis disputat, ut ne Nerone quidem cogente nobili mimum agendum fuisse asserat, licet tum certe a principis exemplo excusationem habuisset, nunc vel ultro in pulpita prodire? nec v. 225 dubitamus quin recte Heinrichius *cantum* Neronis restituerit, qui quod jam v. 220 respicitur, tantum abest ut cum Rupertio nunc rejiciendus videatur, ut jam affirmativam declarationem flagitet, quod illic in Orestis comparatione negative tantum significatum erat. Sequitur Sat. IX, ubi deterior lectio doctam *Bruttiae picis* mentionem prorsus obliteravit ejusque in locum participium plane otiosum *circumlita* substituit; v. 40 autem apertam scioli correctionem exhibet, qui *cevendi* vocabulum aut ipse ignoraret aut ignorari a lectoribus vellet, sed ut ne Achaintrio quidem, nedum nostratibus pudorem suum probaret; idemque eorundem judicium Sat. X in *turba Remi* pro *tremente* deprehendimus; Sat. XI demum illis quoque ut aliis imposuit v. 91 *rigidus censor*, etsi ante *severos mores* tale epitheton omni vi caret multoque significantius est *postremo*, quod severitatem censoriam eo demum crevisse indicat, ut vel collega collegae timendus esset; neque aut v. 106 *fulgentis* pro *venientis* aut v. 128 *bilem* pro *viribus* quamvis multis probata eam praestantiam habere arbitramur, ut reliquae hujus recensionis levitati pondus addere possint. *Fulgentis* certe a correctore tantum profectum est, quem ablativi constructio cum *venientis* quamvis optimis utriusque sermonis scriptoribus usitata offenderet [15]); *bilis* autem licet elegantissime stomacho tribui videatur ad idem exemplum, quo Horatius Sat. II. 8, 5 *iratum ventrem*, Propertius IV. 9. 62 *iratam sitim*, ipse noster Sat. XV. 100 *vacui ventris furorem* dixit, nunc tamen non esuriem, qua velut exacerbatus venter in cibos irruat, sed languescentis stomachi incitamenta intelligit, nec satis laudari poterit Heinrichii acumen, qui acerbitatis notionem alienam esse intelligens *vires* ab ipsa moderatione commendatas reduxit. De vv. 201. 202 disputandi otium nobis fecit A. L. Döllen, Professor Kioviensis, qui in libro nuper edito: Beiträge zur Kritik und Erklärung des Juvenal p. 147 sqq. et auctoritatem eorum contra multorum deterioris recensionis librorum silentium et locum, quem fere solus Budensis illis post v. 164 tribuit, acutissime defendit; eodem autem exemplo Sat. XII. 81 *tunc stagnante sinu*, tantum abest ut vel maximo librorum numero concedamus, ut omnem

15) Cf. Caes. B. C. I. 31: *venientem navibus Tuberonem portu atque oppido prohibet*; Liv. III. 30: *Virginius agmine quadrigentorum hominum veniens*; pluraque apud Kritz. ad Sallust. Catil. p. 301, tum graecum exemplum Plut. V. Solon. c. 9: *ἀναχθέντα δὲ συχναῖς ἁλιάσιν*, et quae Nitzschius ad Homer. Odyss. T. III, p. 215 collegit.

dulcissimae descriptionis vim perituram esse arbitremur, ubi tum tantum, quum ad tempus sinus stagnaret, aut interiorem portus partem peti potuisse aut nautas sospites pericula exhausta narrare solitos esse statuamus; nec vel hac de lectione melius existimamus, quam de *turba* vel *turma*, quam iidem fere codices v. 110 eunti in proelia *turri* substituerunt, non intellecta videlicet turritorum elephantorum mentione, quae illi loco tam apta est, ut si librarii demum, quae Schmidtii sententia est, vivacissimam imaginem languidissimae tautologiae subdidissent, ipsius profecto poëtae doctrinam superassent. *Vilem populum* et *saevam voluptatem*, quae Sat. XIII. v. 142 et 208 pro *vilibus pullis* et *sola voluntate* successerunt, ne Schmidtius quidem contra historiam sententiarumque tenorem tueri sustinuit; vellemus tamen eandem cautionem ad sequentem satiram attulisset, ubi dici non potest quam contorta ratione v. 38 *damnis* defendat pro *damnandis*, quibus poëta patres abstinere jubet, ne filii eorum crimina sequantur, quasi aut damnorum tantum, quae ex criminibus prodirent, non ipsius turpitudinis causa hoc Juvenalis jubeat, aut damnis, quae scelerum imitatione aliquando in filios redundare possent, patres abstinere commode jubeantur; nec melior causa est v. 62, ubi *lavat* legendo omnis oppositio tollitur, quae inter *leve argentum* et *aspera vasa* obtinet [16]), aut v. 115, ubi *atque verendum* post *egregium* insulsissime infertur, omissa *acquirendi* notione, qua sola sequens *artificis* vocabulum ad hujus loci rationem adaptatur; immo his praemissis ne *indomiti* quidem pro *immodici* v. 176 quamvis docta specie ita tutum arbitramur, ut hic certe aliquam deterioris familiae praestantiam agnoscamus. Scilicet hic quoque cacozelon diorthotam deprehendimus, qui quia indomita pleraque immodica sunt, inversa figura omne immodicum indomitum appellavit, nec si maxime *indomitum sensus* dici liceat, cui dominus non temperat, cupidini certe tanta vel segnities vel imbecillitas proponi potest; quam autem Schmidtius hypallagen vocat, etiam si omnino tolerabilis sit, tamen huic loco vel ideo non convenit, quod *cupido*, quo ille *indomiti* vocabulum proprie referri vult, jam suum sibi attributum *saeva* habet. De Sat. XV jam superius disputatum est; restat XVI, ubi hoc jam sponte patet, v. 23 multo atrocius esse *mulinum* cor Vagellio tributum, quam *Mutinensis* patriae significationem, quae si maxime vera fuit, eo magis glossema redolet; nec v. 29 quamvis notabili codicum numero credemus judicis negotium fuisse, ut *testem diceret* adeove, quae Achaintrii explicatio est, *addiceret*, quem accusator *daret*; denique v. 39 cur *vetulum libum* Termino Laribusve compitalibus oblatum statuamus, ne in pauperrimo quidem homine causa apparet, *patulum* autem ipsius libi formam apertissime describit, recteque et ipsum ab Heinrichio receptum est, quem omnino gaudemus emunctae naris hominem, quamvis universas codicum virtutes neutiquam certo et constanti judicio existimaverit, tamen in singulis locis saepissime ipso sensu, quem subtilissimum habebat, duce ad id pervenisse, quod nobis ex integrarum demum recensionum comparatione praeferendum visum est.

---

16) *Aspera* scil. *signis*, ut Virgil. Aen. V. 267, IX. 263, Ovid. Metam. XII. 235, XIII. 701, Stat. Silv. III. 1. 38, Sil. Italic. II. 432, XI. 279 etc.

Sunt tamen etiam quae ipsi Heinrichio adeo imposuerunt, ut sive suorum codicum fiducia, qui et ipsi omnes deterioris familiae erant, sive alia quadam specie deceptus ne ille quidem eclecticismi culpam satis evitaverit; quorum etsi ea plerumque indoles est, ut corruptela ad librarii potius errorem quam ad pravum diorthotae consilium referenda videatur, tamen ne hoc quidem in genere meliorem archetypi illius, quod litera X insignivimus, fortunam fuisse plurimae lectiones ostendunt, quas quamvis codicum fere omnium consensu traditas aut Achaintrius aut certe nostrates Pithoeanae recensioni posthabere non dubitarunt, ut hoc unum jure mireris, quomodo iidem alibi eosdem tam exigua cum cautione sequi sustinuerint. Duarum primarum satirarum exempla jam superius posuimus; in sequentibus autem non minorem sed majorem potius inconstantiam exstare, harum lectionum comparatio doceat, quas ne Achaintrius quidem ex Parisinis, quibus alibi summam auctoritatem tribuit, recipere ausus est: III. 62: *in Tiberim Syrus*, 76 *geometer*, 85 *Aventinum*, 120 *Erimanthus*, 142 *parapside*, 177 *similemque*, 187 *illud*, 238 *eripiunt*, 263 *strigilibus*, 271 *cadant*, 277 *effundere*, 288 *praemia*, 293 *concha*, IV. 1 *adest*, 13 *Serio*, 18 *in munere tanto*, 28 *putamus*, 31 *ructaret*, 37 *semianimem*, 54 *ex aequore*, 63 *et cessit*, 64 *exspectant*, 76 *sedet*, 85 *ferre*, 102 *miratur*, 120 *laevam*, 127 *excidit*, V. 10 *possis*, 15 *raro*, 17 *culcitra*, 24 *nollet*, 83 *dum*, 84 *gammarus*, VI. 81 *aut mirmillonem*, 82 *ludum*, 136 *Censennia*, 267 *gemit*, 274 *atque ipsis spectantibus*, 288 *sinebat*, 291 *in turre*, 295 *istros*, 322 *frictum*, 324 *nil tibi*, 328 *pariter toto*, 345 *Claudius*, 352 *Oculnia*, 357 *domi est*, 392 *protulit*, 395 *quid agatur*, 413 *quam quid*, 439 *loquetur*, 441 *ac tintinnabula*, 442 *atque aera*, 449 *curvum*, 468 *illo tunc lacte*, 491 *humero*, 501 *tanti*, 527 *calidasque*, 533 *lanigero*, 554 *fronte*, 635 *egressi finem*, VII. 1 *tantum est*, 3 *noti celebresque*, 25 *conscribis*, 105 *tecto*, 106 *praestant*, 114 *lacertae*, 123 *in foedere*, 146 *deducere*, 149 *imponere*, 154 *cambre*, 156 *diversa parte*, 157 *volunt*, 197 *de consule rhetor*, 198 *de rhetore consul*, 242 *curas*, VIII. 4 *nasum . . . Corvini*, 7 *famosos*, 16 *producit*, 42 *aëre*, 89 *exhausta*, 122 *relinquens*, 151 *nusquam*, 156 *Hipponam*, 173 *aut furibus aut fugitivis*, 265 *eduxit*, IX. 32 *in partibus*, 53 *tractas*, 118 *tum propter*, 132 *conveniunt*; 138 *exornare*, 139 *fingam*, X. 5 *concupis*, 9 *et torrens*, 37 *medii sublimem pulvere*, 78 *effugit*, 81 *Pana*, 88 *astricta*, 97 *tantum*, 217 *in corpore*, 248 *per tot*, 253 *nam quaerit*, 254 *socio*, 300 *modestum*, 322 *Hippia*, 339 *pereundum est*, 341 *aurem*, 344 *melius leviusque*, 354 *attamen ut*, 362 *plumis*, 365 *sed te*, XI. 35 *mensura tuae*, 37 *nec mullum*, 49 *ostia*, 57 *nec moribus*, 142 *frustrum*, 144 *frustis*, 151 *hic est*, 193 *praedo*, XII. 33 *cum ferret*, 103 *promittunt*, XIII. 18 *proficit*, 57 *farra*, 97 *nec dubitat laudas*, 132 *in occasu*, 136 *diversa in parte*, 226 *vindicet*, 237 *quod fas*, XIV. 30 *moechum*, 33 *subeant*, 67 *scrobis*, 82 *tunc praeda*, 119 *felicis*, 131 *concham aestivi*, 134 *negavit*, 165 *haud ingratae*, 184 *homines*, 315 *sed te*, XV. 51 *genuinum odium*, 104 *viribus*, XVI. 30 *qui vidit*, 49 *illis*; quibus si eas adjunxeris, in quibus recipiendis nostrates Achaintrium sequi noluerunt, totius hujus familiae fides ipsorum editorum confessione tam arctis finibus includitur, ut vel major nostratium culpa

esse videatur, qui quo saepius ab illa ad Pithoeum redeundum esse intellexerunt, eo minus sibi in eis, quae nihilo minus illi concessere, constiterunt. Et Rupertium, qui nullum omnino librum, quem praeter ceteros sequatur, habet, item Weberos et Orellium, qui et ipsi codicum subsidio magis quam auctoritate usi sunt, nunc mittamus; sed ne Heinrichius quidem, ut diximus, quamvis sagacissime interdum Pithoeanae lectionis veritatem tuitus sit, omnem ejus praestantiam ita agnovit, ut non identidem ad eosdem fontes relaberetur, quorum corruptelam ipse alibi acerbissime exagitasset. Sic *Codrum* pro *Cordo* I. 2 eo argumento defendit, ut hoc nomine hominem Romanum offendi potuisse dicat, quasi talem offensionem Juvenalis aut alibi in nominibus romanis usurpandis, aut in ipsis misellis poëtis describendis I. 80 et VII. 12 evitarit, ubi non minus obscuros *Cluvienum*, *Paccium*, *Faustum*, at sine dubio veris nominibus notatos legimus; sic Sat. VI. 123 *constitit* pro *prostitit*, 386 *cum farre* pro *et farre*, 401 *strictis* pro *siccis* nostra quidem sententia inconsideratius retinuit, nec magis probamus, quod Sat. VII. 91 plurali numero *Bareas* pro singulari, item 201 *triumphos* et 144 *Cossum* pro *Gallo* legere maluit, aut Sat. VIII. 189 *eripietur* pro *eripiatur*, IX. 25 *celebrare* pro *scelerare*, X. 61 *stridunt* pro *strident*, XI. 118 *in usus* pro *ad usus*, XIII. 65 *miranti* pro *mirandis*, XIV. 11 *puero* pro *puerum*, XV. 154 *limine* pro *limite*, XVI. 42 *inchoet* pro *inchoat* scripsit, quas omnes lectiones aut aperte Pithoeanis cedere aut certe nulla re has superare fidenter contendimus. *Constitit* certe quomodo ex *prostitit* ortum sit, palaeographia satis docet, quomodo elegantius vel Heinrichio videri potuerit, vix explices, quum *consistere* ad locum, *prostare* ad quaestum et impudentiam pertineat, de qua sola illic agitur; nec *cum farre* magis sermonis usui convenit quam simplex ablativus, qui cur iterato *et* cum sequenti *vino* jungatur, facile existimabit, qui *far* et *vinum* duo diversa sacrificiorum genera efficere recogitaverit [17]); mox autem v. 398 sqq. non solum *quae* pro *quam*, sed etiam *siccas* mamillas pro *strictis* quamvis antiqua varietate unice recte legi contra omnes recentioris aetatis editores nostro jure contendere nobis videmur. Et *quam* quidem postularet *ferat* potius cum *pervolet* comparandum, quam *possit ferre*, in quo non actio sed facultas cernitur, quam longe rectius cum antecedente adjectivo *audax* compares:

audax et coetus quae possit ferre virorum;

strictae vero mamillae, id est nudatae et quasi provocantes vel certamini paratae, ut meretriciae procacitati maxime conveniunt, ita ab ejus mulieris indole, quae nunc a Juvenale describitur, prorsus alienae sunt; quae quum non ob impudicitiam sed ob curiositatem animumque etiam mascula conversatione imperterritum notetur, tantum abest ut pro voluptuaria describi possit, ut cum verecundia simul etiam imbecillitatem et delicias muliebres deposuerit, interque viros non magis quam ipsi viri trepidet sudansve, ut Persii verbis utamur, *pectore laevo excutiat guttas*, quam ipsam sudoris et trepidationis absentiam *siccis* mamillis declarari arbitramur [18]). Plurales

17) Cf. Homer. Iliad. IX. 496: *λοιβῇ τε κνίσῃ τε*: Aeschyl. Suppl. 959: *θύειν τε λείβειν τε σπονδάς* etc. — 18) Cf. Pers. II. 53, cui proxime accedunt ipsius Juvenalis

in Sat. VII. v. 91 et 201 satis verisimile est diorthotae deberi, qui quum numeros aequare studeret, multo majorem variationis delectationem delevit, nec *Gallum* videmus cur *Cosso* postponamus, quem si consentaneum est eundem haberi, quem ut aliquando cliens salutet, Sat. III. 184 pretio redimere dicitur, non adeo ignobilis fuisse potest, ut cum Basilo sociorum circumscriptore (X. 222) inter minorum gentium oratores referatur; *Gallum* autem si quaeritis, idoneus praesto est apud Plin. Epist. II. 7, quanquam id cognomen multis hominibus commune erat. Sat. VIII. 109 cur modus potentialis *eripiatur* Heinrichio minus placuerit, ne ipse quidem explicavit; similisque causa est Sat. IX. 25 verbi *scelerare*, pro quo apertum glossema *celebrare* recepit, haec tantum annotans: *das Wort ist gut, aber nicht im Sinne der Stelle; es soll hier kein scelus gerügt werden*; at quaesumus si quis moechus Cereris fana adeat ibique adulteria exerceat, nonne planissime scelus committit? Ibid. v. 61 ne memoravit quidem insignem Pithoei lectionem *caculis* pro *casulis*, quam neutiquam spernendam esse Freundius in Lexico recte intellexit; quod autem Sat. X. 61 *stridunt* pro *strident* praetulit, a Virgilio quoque contra ipsum Heynium abjudicat Köne über die Sprache d. röm. Epiker p. 167; utque ibidem v. 97 *tanti* pro *tantum* docte tuetur Madvigius Opusc. T. II, p. 189, ita nec Sat. XI. 118 dubitari potest, quin propter easdem rationes, quas in simili confusione Handius Tursell. T. I, p. 78 adhibuit, *ad usus* locum suum contra deteriorem lectionem *in usus* egregie tueatur; cf. eundem p. 126. Sat. XIII. 65 quod negavimus nobis cum Heinrichio convenire de lectione *mirandis* pro *miranti*, non melioris tantum recensionis testis, sed vel deterioris antiquissimum monumentum nostro judicio favet, ut *miranti* adeo posterius demum in hanc ipsam recensionem irrepsisse videatur; utque arguta correctio sit, qua ipsum aratrum per prosopopoeiam pisces inter arandum inventos mirari fingatur, non tamen quod verbi causa Ovidium deceat, aut poëtae omni aut loco convenit; immo et ipsius Juvenalis temperamentum, quo in postremo maxime libro utitur, et sententiae vis cacozelon diorthotam arguit, quae vis tota in eo cernitur, ut rerum cum viro sancto comparatarum admirabilitas nude et aperte sine ullo verborum fuco aut ambage declaretur. Etiam Sat. XIV. 11 non intelligimus cur nostrates quoque omnes ne Heinrichio quidem excepto certatim *puero* pro *puerum* dederint ex eisdem codicibus, quos paulo ante v. 2 *et rugam* pro *haesuram*, item v. 6 *concedit* pro *concedet* moxque v. 49 *obsistat* pro *obstet*, v. 51 *quandoquidem* pro *quandoque*, v. 52 *et cum* pro *et qui* etc. perperam exhibere viderunt, quasi aut *transire alicui* frequentius dicatur quam *transire aliquem*, aut hoc ipsum non sit i. q. a tergo relinquere (III. 114; VI. 602; VII. 190; X. 273), ut nihil causae sit, cur non annus quoque puerum in

---

verba Sat. I. 167: *tacita sudant praecordia culpa*, neque alienus VII. 159: *laevaque in parte mamillae nil salit Arcadico juveni*, unde ne nostro quidem loco *mamillas* ad impudicitiam referendas esse patet; *siccae* autem, ut diximus, ad anxietatis et trepidationis absentiam spectant, quae haud raro sudore declarantur, ut Cic. Fam. III. 12: *vides sudare me jamdudum laborantem*, Lucian. de lapsu c. 1: *ἐγὼ μὲν οὖν ἐπὶ τούτῳ εὐθὺς ἴδιόν τε καὶ ἠρυθρίων καὶ παντοῖος ἦν ὑπ᾽ ἀπορίας*, Nigrin. c. 35 etc.

temporis decursu et fuga transire dicatur; neque aliter statuimus de *limine* pro *limite* XV. 154, quod ne deterioris quidem recensionis antesignani agnoscunt, ut prorsus novellam correcturam redoleat, nec quamvis speciosum aut necessarium aut adeo commendabile videbitur, ubi recogitaverimus poëtam data opera de eis institutis loqui, quibus humana societas ad justitiam et communionem civilem temperata sit; quo *limina* aedium nemo unquam retulit, *limites* autem inter praeclarissima culturae signa numerantur. Denique Sat. XVI. 42 vel invito Servio ad Aeneid. II. 102 indicativum *inchoat* tuemur, quia de certo et stato litium tempore agitur, quod quia lites inchoat exspectandum est, non eo consilio exspectatur ut inchoet.

Absolvimus, Commilitones, recensum insignissimarum varietatum, quibus duae satirarum Juvenalis recensiones inter se discrepant; quarum lectionum fere omnium eam rationem esse intelligitis, ut quae ejus familiae, quam litera X insignivimus, aut omnibus aut plerisque libris peculiariter adhaereant, aut ab omnibus editoribus, aut a plurimis horum, aut ab eis rejectae sint, quorum maxima in hoc genere auctoritas esse debeat, sive hos quoque speciosa pelle deceperint, etiam in talibus exemplis plerumque alterius hoc est Pithoeanae recensionis praestantiam haud difficulter demonstrari posse; quae quum ita sint, mira profecto ac vere singulari fortuna Juvenalis usus est, cujus satirae quum tot exemplaribus Mstis divulgatae sint, tamen ea potissimum editio in vulgatae dignitatem abiit, quae fere solo qui exstaret melioris recensionis teste niteretur. Nam quum ea verborum constitutio, quae propter plurimorum editorum imitationem vulgata dici solet, in plerisque scriptoribus originem habeat protinus promiscuam eque tot diversissimae fidei exemplaribus fortuito conflatam, ut qui eam etiam nunc pro fundamento ponere audeat, non religiosi sed superstitiosi ne dicam caeci hominis instar agat [19]), Petrus Pithoeus, cujus auctoritas per duo fere saecula paene sola in Juvenale regnavit, in editione Parisina a. 1585 et optimum codicem Budensem, qui olim in Matthiae Corvini Hungariae regis bibliotheca fuerat [20]), una cum scholiis in eodem plenissime exstantibus [21]) adhibuit, et rara illis temporibus cautione ac diligentia ita eodem usus est, ut — ipsius verbis utimur — *inter plura variaque nec contemnendae vetustatis exemplaria*, quae illi praesto erant [22]), *unius*

---

19) Cf. Lectt. Persianae, Marb. 1842, Spec. I, p. 3. — 20) Cf. Jul. Pflugk epist. de fatis bibl. Budensis, Viteb. 1688. 4; P. Fabri de Budensi bibliotheca, Lips. 1756. 4; P. Wallaczky tentamen hist. literar. sub rege Matthiae Corvino in Hungaria, Lips. 1769. 4; F. X. Schier de bibl. Budensis ortu, lapsu, interitu, et reliquiis, Vindob. 1799. 8; Wiener Jahrbb. d. Literatur 1839, T. LXXXVIII, Anz. Bl. p. 37. — 21) Mancos enim jam Georgius Valla inseruerat commentario suo in Juvenalis satiras, Venet. 1486. Exstant autem praeter Pithoei editionem — ipse enim codex Budensis ubi nunc lateat, ignoratur — etiam in codice Sangallensi, unde primus edidit A. G. Cramerus Ictus Hamb. 1823. 8, mox accuratiorem collationem suppeditavit J. C. Orellius in praefat. lectt. Turic. hibern. 1833—1834. Aetatem Scholiorum aut certe fontis unde hausta sunt, prodit imprimis nota ad Sat. III. 167: *et nunc apud Athenienses mortuis solent in ore numos immittere, ut apud inferos non tanquam inopes errent* etc. — 22) Habuit enim praeter Budensem etiam Latiniacensem et alium Saec. XI, qui nunc inter regios Parisinos est n. 8072, quem quum Achaintrius identidem *Pithoei codicem* appellet, cavendum est ne cum Budensi confundatis. Ceterum quod idem Achaintrius ad Sat. IX. 106

omnium sane optimi atque antiquissimi scripturam exprimi curaret, qua re factum est, ut eadem superstitio, quae in plerisque aliis scriptoribus sano judicio tamdiu restitit, Juvenalis satiras, si a paucis locis discesseris, paene integris verbis ad nostram usque aetatem servaret, donec Rupertius primum, mox Achaintrius aliique, dum codicibus undique congerendis optimam recensionem etiam meliorem fieri posse sperant, aut numerantes aut pravo examine singulas lectiones ponderantes deteriorem recensionem cum optima teterrimo exemplo temere miscerent. Quod si quis nunc salutem poëtae miserrime deformato afferre certumque fundamentum nancisci vult, quo in eis, quae fortasse conjecturae medela indigent, sanandis insistat, nisi aliud meliusque ejusdem recensionis, quam Budense Pithoei praefert, exemplar invenerit, nulla nec certior nec simplicior via erit, quam ut missis aliquantisper quaecunque post Pithoeum in recensendis satiris facta sunt, ad illum unum redeat, reliquorum autem codicum farragine ita tantum utatur, ut ex eorum aetate, consensu, aliisque praestantiae indiciis non ille quidem Juvenalis manum, sed deterioris recensionis formam eruat, quam quum ipsam jam tertio quartove a. Chr. saeculo exstitisse intellexerimus, eandem librariorum qui postea ad eam accesserunt corruptelis adeove novis diorthotarum correctionibus non minus quam genuinos antiquitatis fetus obnoxiam fuisse certum est. Neque enim ita accipi a vobis quae adhuc disputavimus volumus, quasi aut omnes deterioris recensionis testes perinde habeamus, aut ipsam Pithoei recensionem omnibus mendis vacuam putemus; immo vel inter deterioris stirpis libros esse, qui genuinam poëtae manum fidelius quam alii retinuerint, quum aliis locis haud exiguis tum insignissimo Sat. I. 116 comprobatur, ubi quamvis multis codicibus commune glossema *ciconia* pro *Concordia* tamen ad principes familiae non pertinere et Rupertii aliquot et plerique Parisini docent; rursumque ne Pithoei quidem exemplar malae sedulitatis vestigiis carere ostendit lectio *testiculorum* Sat. XII. 36 pro *testiculi*, quam facile concedimus solius hiatus vitandi causa mutari potuisse, ut mittamus scholia Budensia, quae ad VII. 154 ineptissimam scripturam *cambre* pro *crambe*, quam cum deteriore recensione communem habent, ridicula eruditione tuentur 23); — sed universe spectantibus et sincerissimis alterius familiae testibus longe praestare Pithoeana recensio videbitur, et, quod caput est, ne ubi menda contraxerit quidem medela ex deteriore potius recensione quam ex tali conjectura petenda erit, quae ipsius Pithoeani exemplaris fundamento nitatur. Nam quod de Thuaneo Martialis codice Schneidewinus, collega conjunctissimus 24), de Mediceo Taciti praeclarae spei ju-

ipsum Budensem a Pithoeo passim correctum esse innuit, quum disertae editoris affirmationi repugnet, non temere credemus. — 23) Haec enim annotant: *proverbium de Cambra et Anatho omnibus tritum, quum nihil sibi tam fuisse cognitum significare voluerint; tractum a nimis frequenti relatione historiae sive fabulae ab aliquo tum scriptae.* Reperit nimirum interpres alicubi *ἄνηθον* cum *κράμβῃ* tanquam tenuiorum hominum victum junctum (cf. Aristoph. Nubb. 982, Athen. VIII. 39) indeque mira confusione fabulosas personas finxit. — 24) Prolegg. p. LXXXV: *stupidissimus ceteroquin librarius, qui vix verba singula intellexisse videatur; tam turpiter vel in apertissimis titubat; sed . . . vel sic codex est unus omnium emendatissimus, si summam spectes, cujus vel errores pluris sunt quam reliquorum munditiae existimandae* etc.

venis Carolus Heraeus [25]), alii de Bambergensi et Puteaneo Livii [26]) rectissime judicarunt, vel ubi manifesta corruptela laborent, sinceriores habendos esse quam alios libros Mstos, qui librariorum editorumque fraudibus, quo propius ad legendi facultatem accederent, eo longius a scriptorum manu et consilio remoti sint, idem ad Budensem Juvenalis transferre non dubitamus, eo tantum discrimine, quod et emendatior hic quam illi ad nos pervenisse videtur, nec postliminio demum ut nonnulli ex illis reducendus, sed in ea tantum possessione tuendus est, quam per duo amplius saecula merito obtinuit.

Habet tamen, ut diximus, etiam Pithoeana recensio, quae emendationem aut recipiant aut flagitent, quorum ubi aliquod specimen oculis vestris proposuerimus, longae huic praefationi finem imponemus. Nam quod praeterea vestro jure postuletis, Commilitones, ut ex reliqua codicum farragine et eos enotemus, qui et ipsi ad meliorem recensionem pertinere videantur, et deterioris vicissitudines ita persequamur, ut si qui codices priscam illius formam referant, ab eis distinguantur, qui novis corruptelis vel a suo archetypo discesserunt, id, etiam si harum pagellarum angustiae paterentur, vel ideo exsequi vix possemus, quia singulorum lectiones et ab Achaintrio et ab ipso Rupertio [27]) tanta vel negligentia vel confusione descriptae sunt, ut tali judicio accurate ferendo cognationumque ramis minutatim deducendis idonea materia non suppetat; unum modo, ne prorsus ἀσύμβολοι ab hac quaestione discedamus, duobus verbis indicamus, inter Rupertianos sincerissimum videri Ebnerianum, quem ille numero **14** insignivit, fallacissimum Schurzfleischianum n. **11** notatum, quorum utriusque corruptelas Schwarzianus n. **10** conjungit; inter Achaintrianos vero ne eos quidem, quorum alioquin maxima auctoritas sit, ut Puteaneum et Alexandrinum, adeo ab interpolatione liberos esse, ut v. c. Sat. **XIV. 2** insiticio versu careant:

et quod majorum vitio sequiturque minores,

aut mox lectione *maculam et rugam* abstineant, quae, si verum Heinrichius vidit, vel Christianum diorthotam prodit [28]). Propter eandem vero causam, ne si quid veri quidem in reliquis praeter Budensem contineatur, ubicunque ab hoc discrepant, aliter existimandi sunt, quam quo modo etiam conjecturas probamus, si et corruptela manifesta et nova lectio ita

---

25) In libello rectae rationis bonaeque frugis plenissimo: Studia critica in Mediceos Taciti codices, Cassell. 1846. 8. — 26) Kreyssigius, Boetticherus, Alschefskius; cf. Ottonis divinationes Livianae, Karlsruhe 1839. 8. — 27) Cf. E. G. Weberi animadvers. ad Juven. Satiras, Jenae 1820. 8, p. 6 eundemque ad Sat. X. 142; tum Schneidewin. in G. G. A. 1840. p. 1413 sq. — 28) Censet enim ortam esse ex interpretatione latina loci Paulini ad Ephes. V. 17: τὴν ἐκκλησίαν μὴ ἔχουσαν σπῖλον καὶ ῥυτίδα, quem jam Wakefieldius Silv. crit. T. I, p. 148 comparavit. Quod si recte vidit, dignissima est, quam animadvertamus, subscriptio codicis Thuanei primi apud Achaintrium T. II, p. 34: *Juvenalis ex orthographia Bedae presbyteri*, h. e. Bedae Venerabilis, quem circa annum 700 p. Chr. magnum antiquarum literarum fautorem in Britannia novimus; quem si statuimus in corrigendo poëta deterioris illius recensionis exemplari usum esse, cujus palimpsestum Vaticanum vestigia refert, nihil mirum illius auctoritatem eandem recensionem plerisque qui postea exstiterunt librariis commendasse.

comparata sit, ut corruptelae vestigiis conveniat; nec si vel maxime concedimus lectiones utrique recensioni communes, dum v. c. in Puteaneo vel Ebneriano servarentur, in Budensi corrumpi potuisse, id ipsum ut aliquo loco factum esse statuamus, illorum auctoritate potius quam eis causis commovebimur, quibus etiam optimum codicem hinc inde emendare solemus. Sic nulli dubitamus quin Sat. II. 150 *contum* pro *pontum*, III. 195 *quum texit* pro *contexit*, IV. 4 *aspernatur* pro *spernatur*, VI. 343 *simpuvium* pro *sympullum*, X. 93 *angusta* pro *augusta*, XI. 55 *fugientem* pro *effugientem*, ibid. 156 *pugillares* pro *pupillares*, XII. 47 *callidus* pro *pallidus*, XIII. 140 *ten' o* pro *te nunc*, XIV. 45 *puer* pro *pater*, ibid. 216 *maturae* pro *naturae*, XV. 64 *seditioni* pro *seditione*, XVI. 24 *caligas tot* pro *caligatos* rectius Ebnerianus quam Budensis retinuerit; sed quam leves hae corruptelae, quamque proclivis mutatio, si cum eis comparaveris, in quibus totam illam familiam a Budensi superari vidimus; tantumque abest, ut vel omnibus hujus corruptelis ex deteriore recensione medela parata sit, ut haud raro et lenius et tutius videatur conjecturam quam integrae illius consensum sequi. Sat. VI. 385 perperam legi *Appi* in propatulo est; quod tamen reliqui fere omnes praebent *alti*, nobis certe multo deterius videtur quam quod ingeniosissime Heinsius conjecit *Aeli*, ut *Lamiarum* nomini respondeat; eodemque modo ibidem v. 660 nec *praegustabit* nec *praegustaret*, sed *praegustarit*, mox VII. 12 nec *Alcitheon* nec *Alcyonen*, sed *Alcithoen*, ibid. 242 nec *curas et* nec *cures et*, sed *cura sed*, X. 211 nec *citharoedo sive Seleuco* nec *citharoedus sitve Seleucus*, sed *citharoedo sitve Seleucus*, ibid. 313 nec *irati debent* nec *exigere irati*, sed *maritis iratis debet*, XV. 93 nec *haec fama est* nec *ut fama est*, sed simpliciter *Vascones fama est* legemus; postremo ne in utriusque quidem familiae consensu conjecturis abstinebimus, ubi aliquod indicium veterem corruptelam arguerit. Sat. I. 169 ipse Pithoeus cum adversariis consentit in *animante tuba*; at Priscianus XVIII. 8. 70 manifesto duobus verbis legit, non ille quidem quod plerique receperunt *animo*, sed *anime ante tubas*, itaque Juvenalem scripsisse tota sententia evincit; III. 36 unice verum esse quod hujus disputationis scriptor olim conjecit *vulgus quem jubet*, post Jahnii, Rothii aliorumque assensum jam pro certo affirmare audemus [29]); utque ejusdem sententia, qua Sat. VI. 151 pro *in hoc* suasit *enim hoc* [30]), etiam nunc fidejussore careat, aliorum tamen conjecturis, ut ipsius Pithoei VI. 295 *istos* pro *Indos*, Salmasii IV. 33 *Pharia* pro *fracta*, Heinrichii V. 10 *possis quum* pro *quum possis*, et VII. 40 *maculosas* pro *Maculonis*, Graevii VI. 172 *dea pone* pro *depone*, Madvigii VI. 589 *armum* pro *aurum*, Rupertii VIII. 195 *poni* pro *pone*, et XVI. 56 *favor* pro *labor*, Herelii XIII. 213 *Setina* pro *sed vina*, Brodaei XV. 7 *aeluros* pro *caeruleos*, tantum ponderis tribuimus, ut nobis quoque aliquid amplius in hoc genere licere arbitremur. Et primum verbo monebimus de

---

29) In Spicilegio annotationum ad Juv. Sat. III, Marb. 1839. 4; cf. Jahnium in Zeitschr. f. d. Alterth. 1840, p. 489, Rothium in edit. Sat. III. IV. V, Norimb. 1841. 8; Kempfii Observationes, Berol. 1843, p. 34 etc. — 30) Cf. Ritschl. Rhein. Mus. T. II, p. 582.

loco identidem tractato VII. 15, quem etsi ab intempestivo Pinzgeri cultro [31]) satis tuebitur interpunctio ab utroque Webero scite proposita, prosodiae tamen scabritiem in *Bithynorum* prima syllaba conspicuam primi nos tollere videmur transponendo:

— faciant equites Bithyni
quanquam, et Cappadoces faciant equitesque Asiani,
altera quos nudo traducit Gallia talo;

quo facto etiam alteram difficultatem tollimus, quae in eo cernitur, quod Galatae in sequente versu memorati, quum ad Asiam commodissime referantur, Bithyniae tamen vix et ne vix quidem conveniunt. Deinde quoniam etiam superius ipsi Budensi perversam hiatus evitationem, qui apud Juvenalem neutiquam rarus est [32]), fraudi fuisse vidimus, alterum ejusdem generis exemplum exstare suspicamur Sat. IX. 106, ubi quod ne Puteaneo quidem excepto omnes praeter Pithoeum exhibent *clamant* sive *clament omnes*, reliquae sententiae, quae silentia potius flagitat, aut contrarium aut certe tam languidum et otiosum est, ut jam Pithoeano *taceant* longo intervallo cedat; ne tamen vel in hoc acquiescamus, ea re prohibemur, quod paulo ante idem vocabulum legitur: *servi ut taceant, jumenta loquentur*; videte igitur ne hiatu admisso hoc proxime ad poëtae consilium accedat:

vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen
de medio; abeant omnes, prope nemo recumbat etc.

Denique quod ne optimum quidem codicem versibus insiticiis carere ad Sat. VIII initium annotavimus, haud scimus an alio ejusdem Satirae loco v. 160 confirmetur, ubi nemo adhuc commodam *Idumaeae portae* rationem reddidit, Scholiasta autem aperte urbis Romae portam intelligit, quam prope tabernarius mansionem habuerit; vix igitur dubitamus, quin duobus versibus in unum contractis scribendum sit, quod etiam in duobus Rupertii codd. incertum consilio an fortuito factum esse dicitur:

obvius assiduo Syrophoenix incola portae.

Sed haec longius persequi nunc non vacat; satis dictum videtur ad id efficiendum, quod a principio proposuimus, ut habeatis, quo in Juvenale legendo judicia vestra de verbis poëtae constituendis regatis; ad ceteros autem, qui literis antiquis operam non navant, ita certe eadem disputatio pertinebit, ut quamvis tenui exemplo illud saltem intelligant, quantis erroribus obnoxii sint, qui aut ullius rei veritatem suffragiorum numero existiment, aut suo sibi judicio frui arbitrentur, dum modo huic modo illi aurae vela tradant. Firmo enim fundamento ut in re critica ita in quolibet alio negotio is demum incedet, qui quam semel sedulo examine rectam certamque viam cognoverit, eandem imperterritus persequatur, neque ullius speciei fallaciis seductus vel difficultates, quibus in eo itinere impediatur, emendando tollere quam ad aliud iter declinando evitare maluerit.

P. P. in Academia Georgia Augusta Idibus Februariis a. MDCCCXLVII.

---

31) Cf. Pinzger. de versibus spuriis p. 10 contraque G. E. Weber in N. Jbb. 1841, T. XXXII, p. 139. — 32) Cf. Ruperti ad Sat. I. 151 et Heinrich ad Sat. V. 10.